Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Lunæ prima menſis Martii.

M. TUSSANO FONTAINE, Doctore Medico, & Profeſſore Regio, Præſide.

An in purgatione Natura Artis dux & magiſtra?

NATURA & Ars in morbis multa moliuntur, ut humorem noxium procul amandent. Illa ſpirituum & caloris perfuſione humorem coquit vel temperat, coctum vel temperatum in vias convenientes pellit à privatis in publicas; dein certis in locis cumulat, ut cumulatum tempore foras poſſit abigere. Hæc omnia meditanti Naturæ Medicus intereſt, & ſi quid gravius incidat, oblatâ Artis ope, allaborantem ſublevat: humorem, ſi contumax, Naturæ obluctetur ſuccis melioribus additis faciliùs tractandum præbet, ſin maligno putredinis æſtu unà cum ſanguine percitus, quà incubuerit calamitatem intentet, ſectâ venâ effrænem coercet, repreſſis fervoris & motus cauſis, & ne quâ minatur nocentiùs erumpat, aliò impetum abducit, & diverſo dato oſtio, vanum effundi ſinit naturæ commodo. Mox verò cum tempus advenerit humoris per opportunos ductus ablegandi, ſi ſollicitante ad exitum Natura moras nectat, cunctanti ars ſedula imminet, & immiſſo Carthartico, quâ ſit ei viâ diſcedendum denuntiat. Hæc tria in morborum curatione peraguntur pari Naturæ & Artis conſilio, ſed diſſimili induſtria; primum enim quoniam alimentorum uſu continetur, unius Naturæ refert; alterum Epaphæreſi abſolvitur, & totum Artis eſt; tertium purgatione perficitur, quam ſalutarem & tutam præſtare, bene medendi apex eſt: hanc operam, hanc laudem Natura cum Arte dividit, ſed non æquo ambarum laudis, vel operæ diuidundæ jure, nec ſucceſſus merito; omnino enim pendet à naturâ ſecundus purgationis eventus, quæ niſi victa jaceat fractis morbo viribus, vel hoc ſolo Medicinæ altero ἡγεμονικῷ quoſvis morbos conficere poſſit Epaphæreſi prævia vel comite, nec non convenienti victus ratione; Ars verò docilis, ſi ſapiat, nihil admodum adverſus morbos ſalutare prolatura ſit, niſi bene præcipientis naturæ monitus audiat, & præbenda purgatione ſequatur quas Natura ei commonſtrat errare non patientes vias.

SALUTAREM præſtare purgationem funditùs exhauſto humore, & ſublato rediture ægritudinis metu Naturæ propria laus eſt, Artis verò tutam conficere, omnis à Carthartico periculi inſtantis vel conſequentis vitatione; ab utraque parte felicior futura eſt purgatio, quam Natura Arti neceſſariam & tempeſtivam indicaverit. Tunc autem neceſſaria eſt purgatio, cum humor pravus alicubi in corpore redundans, neque emendari ſe tulit, neque hinc eliminari potuit; attamen ſola infenſi humoris copia, vel mora, captanda non eſt purgandi opportunitas; hanc multo plura indicere Artem Natura docet; & omnes Medico, ut purgare auſit, obſervandos eſſe Naturæ nutus ex ſingulari humoris motu & conditione, varia ægrotantis corporis affectione, virium robore & imbecillitate. Inter diverſos purgandi humoris motus, quos Natura Arti proponit, duo eminent, Orgaſmus & Pepaſmus. Orgaſmus à multis jactatur Tanquam datum Arti à Natura ſignum potionis Medicæ illicò impingendæ, humore (quod aiunt) purgationem clamante. Equidem quam in morbis inſolens, & cognitu dubius eſt Orgaſmus, tam verendus eſt ancipitis purgationis index, ſicubi verus compareat haud temerè, epaphæreſi prætermiſſâ, purgatione excipiendus: Pepaſmus, & quæ illum conſequitur mali levatio, præclara purgandi occaſio eſt, neque remittenda, nam ſæpe in lubrico ſtat. Igitur quem votis & aptis Diætæ auxiliis ars pepaſmum promoverit, oblatum uſque tenebit, & collatis purgantium viribus naturæ ſe ad morbum expellendum ſociam adjunget. Quanquam pepaſmi deſperatione non ſunt ſemper deponenda Carthartica: ſat eſt ut inſtantis fati purgatione ſubmovendi veniam impetrari ſibi Ars intelligat, dum humor pepaſmo non domabilis, vel imminuta copia, vel proprio compreſſo æſtu, vel febrili reſtincto ardore conſederit, vel ſponte in viam ſedet à Natura communitam, & in quam ejus effluxum ars molliter inflectere poſſit ſine ullo diſcrimine.

PURGATIO vacuatio eſt humoris qualitate noxii à Natura ſuſcepta, Arte ad humoris excretionem naturam ſollicitante adhibito Carthartico, in qua duo requiruntur, alterum ut ſollicitatæ Naturæ vires valeant, quibus præſtito ſibi auxilio frui poſſit, alterum Artis eſt, ſollicitandâ Naturâ, ſumma proviſio, ne vis ei inferatur vtraque ſic conſpirante, quod in purgatione caput eſt, humorem ſecerni & excerni certo ægrotantis ſolatio, hoc vna Natura perficit, dum cominùs cum humore congreditur, eumque ſua in ſede aggreſſa, accinente Carthartico, ſic illum verſat, & ſuis agitat modis, ut tandem impertita craſi ad purgandum idonea, illum inde, ubi latet, dimoveat, ſecernat, dimotum ſecretumque partium robori exigendum dimittat. Ars Catharſim porrectura, ad omnia cauſarum momenta, ad omnes motus quos Natura vel morbus in ægro corpore viciſſim ciere ſolent, aciem debet attendere, atque hinc ſibi tempora dividere promovendæ purgationis; ac primo quidem illa cavet ne foris major ingruat infeſtarum rerum incurſus, ne ſanguis nimius vel febrilis incendii jam factus particeps, naturæ legitimam humoris excretionem molienti officiat etiam disjectam per aliarum partium ſeceſſus impuritatem, vel intra ſepta continet, vel alio avocat, ne purgandum humorem adaugeat, & recoquendi neceſſitatem inferat: Demum verò co ſemper attenta, ut quidquid intrò immittat, omnia ſemper naturæ tuta in purgatione præbeat, vel in ipſo purgandi articulo, ægrotantis & medicamenti vires commenſa Carthartica impendit, quorum vires Natura facili opera elicere, elicitis uti poſſit quam minimo inſitæ purgantibus caliditatis & acrimoniæ ſenſu.

NATURA in homine ſive animus eſt, ſive vis quædam animo ſubdita, omnium quæ in nobis propter valetudinem geruntur author eſt & conſcia: hæc ſola Cartharticis ut & reliquis medicamentis novit uti, ſive Ars intus, ſive foris ſubminiſtraverit: Carthartica autem communium partium diverſorio primum accepta, jam tum ſuæ ſalubritatis ſpecimina ferunt, cum innoxie in illis partibus verſantur; hinc autem dirigente Natura, ea loca ſubeunt, in quibus & calori & ſpiritibus commiſſa, naturæ tardius forte ſeſe liberantis incitamenta fiunt. Nonnulli imbiberunt Cartharticorum vim & purgationis ſucceſſum rerum convenientia, vel diſſidio, vel quorumdam corpuſculorum concurſu definire, ſive Carthartica proliciendi ad ſe humoris virtute polleant, ſive illum inſito diſſidio exterminent, niſi Natura Cartharticorum vim impreſſam, & additos humori aculeos queat percipere; incaſſum ab Arte adhibendus eſt, vel valentiſſimorum Cartharticorum uſus.

PURGATIONE quæ Epaphæreſi ſuffulta ſit, Ars eo ſe extulit, ut multa in morborum curatione perficiat, quæ Natura inchoata & imperfecta reliquit; ſed nullam inde laudem Ars tulerit, niſi ab ipſa cui ſuccurrit, ejus adjuvandæ modum teneat, & omnia in purgatione ad naturæ normam & morem exigat; Ars quondam mirata ſponte & confertim emiſſum humorem, multos morbo liberaviſſe, ad vehementiora Carthartica ſe primum contulit, eventus bonitate magis quam cauſarum & effectuum explorata ſerie, poſtmodum diuturno Cartharticorum uſu, & periclitatione ſcientior, necnon ſeria naturæ ſuaptevi morbos curantis conſideratione, quò ſe potiſſimum in purgando referret, tandem habuit. Multis Natura modis ſuevit morbos ſolvere, ſed non omnibus æque tuto, perirrhæa, ſudore, vomitu; nunquam morbi ſic toti diſcedunt, quin relicta empireumatis portione aliqua denuo reviviſcant, quibus Ars Naturam imperitè imitata aſſiduas febres, intermittentes, incipientes, internarum partium inflammationes, Diureticis, Diaphoreticis, Emeticis curaturam ſe recipit. Illi vel difficillime diuque ægrotant, vel merita nec morte pereunt; vnum alui profluvium omnium maxime criticum Natura eſſe voluit, in quo per ſolennes & conſtitutos ductus, nulla partium offenſione, certâ proximæ integritatis ſpe, humor, morbi cauſa, rejicitur. Imitetur igitur Ars Naturam, quod oſtendit ſequatur, & ut purgationem inſtituat perfectæ Criſeωs æmulam, non tam remedia ſe reperiſſe gaudeat, quam à Natura didiſciſſe, quæ alvò ſoluta pari humoris expurgandi facilitate, & ſecuritate latentes ubivis morborum cauſas valent prolicere Apud ingenuè & liberaliter medentes; extant innumera ejuſmodi Carthartica, quæ virentis Telluris è ſinu prodeunt, & Natura indice, Arte miniſtra in uſum Medicum ſuccedunt. Verum quidem illud eſt purgationem alteram eſſe Medicinæ manum, quæ niſi purgantibus convenienter inſtructa ſit, nuda penè & inermis adverſus morbos adhibeatur. Alterum multo verius, Artem unde plurimum profutura eſſet, inde plurimum eſſe nocituram, niſi vſurpandis Cartharticis Naturam ſibi ducem & magiſtram ſtatuat, atque adeò in hoc toto purgationis negotio impetrandis, conſulendiſque ægrotantium rebus Naturæ vim eſſe maximam, & omnis in purgatione boni principem nihilo ſeciùs Arte ſibi adjuncta.

Ergo in purgatione Natura Artis dux & magiſtra.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus Goüel.
M. Antonius Varin.
M. Nicolaus Brunel de la Carliere.
M. Henricus Mahieu.
M. Claudius Guerin.
M. Paulus Mattot.
M. Claudius de Frades.
M. Ægidius le Bel, ſereniſſimæ Aurelianenſium Duciſſæ, primarius Medicus.
M. Abrahamus Tevart.

Proponebat Lutetiæ AMANDUS DOUTE', Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.